

Iantur. Ceterum nihil fuit cur Henricus metueret: ne falleretur: uel ipsi ne
fallerent. Vidi ego chronicam peruetustam apud sancti Nicolai ab abbate
Zenone confectam. Quę ubi apparitionem per eum quem diximus mo-
dum narravit: Subiicit deinde corpus expositum in ecclesię medio inte-
grum & incorruptum: apparatu celebrandi sacrificii ad depascendos popu-
li oculos usq; ad octauum idus octobres: Quo die ecclesia dedicata. Mul-
taq; scribit eo spacio miracula edidisse. Extat preterea huius historię pictu-
ra summo ordine depicta in eiusdem sancti ecclesia mussiuo & antiquissimo
opere: litteris pedalibus circucripta. Męstum ibi uideas sacerdotium. Vi-
deas populum pstratum & orantem. Columnā sese aperientem: & corpo-
ris sancti Arcam quasi euométem. Vbi uero sanctus deponitur: inscriptū
est his uerbis. Collocatio sancti Marci. Qd si iuris omnes consulti tantum
antiquitati tribuunt: Vrpergamene antiquiori opponi non liceat: etiam si
nec Notarius nec testis ullus supersit. Periclitabitur ne igitur totius ciuita-
tis huius existimatio fidesq; tot tantisq; ualidissimis antiquissimisq; moni-
mentis in huius sancti honorem memorię mandatis: Presertim quū qui no-
stra non recipiunt: ipsi de suo: qd uel leuitatis uel tarditatis signū est: quic-
q; proferre non audent. Ceteruin interrogabunt isti fortasse: an deinceps ab
hinc annis. cccc. aliis produci possit testis: huiusmodi depositiois. Seriem
igitur: ut temporum sequamur: habemus omni exceptione maiorem Iaco-
bum uoraginiensem dignitate genuensem archiepiscopum. Religione ordi-
nis prédicatorum. Ea uero doctrina: & auctoritate: ut eius scripta sancto-
rum solennitatibus in ecclesiis omnibus celebrentur. Is posteaq; euangeli-
stę uitam breuiter descriptsit: Adiecit nonnulla de eo sancto miracula. Inter
cetera autem Julianum quendam narrat genere fauentinū: In papiensi præ-
dicatorum conuentu: Dum morbo laborat: extremumq; agit spiritum: ui-
disse euangelistam sese iuxta ipsius egroti lectulum ponere: Vocemq; au-
disse interrogantis. Marce quid hic agis? Marcum respondisse. Veni adhuc
egrotum relaturus illi gratias pro ea reuarentia ac deuotione: Qua locum
ubi quiesco sedulo uisitauit. Impletus continuo locus uiris candida ueste
fulgentibus. Excitatus eo uisu egrotus & spiritu hilaris: uocari iubet con-
uentus priorem: atq; illi rem ominem narrat. Statimq; inter hymnos & lau-
des sanctam animam efflauit. Id accidisse narrat anno Domini. M. cc. xli.
Accepisse autem hec ab ipso Conuentus priore. Videant qui hactenus du-
bitauere: Quanta notatu digna paucis in his uerbis ab hoc archiepiscopo
recitentur: Scribit prius Venetias translatum: Subdit huc Julianum locū:
ubi sanctus requiesceret: assidue uisitasse. Dicit accidisse anis centū septua-
ginta: Post eam quam scribimus apparitionem. Qui autem rem scribit